



Clypeus Theologiæ Thomisticæ

In Tres Partes Divisus, Et Quinque Voluminibus Comprehensus

Tractatus de Sacramentis in genere, de Baptismo, de Confirmatione, de
Eucharistia, de Pœnitentia, de Extrema-Vnctione, de Ordine & de
Matrimonio

Gonet, Jean-Baptiste

Coloniae Agrippinae, 1671

Art. III. Alia difficultas resolvitur, & quodnam sit objectum materiale &
formale virtutis pœnitentiæ, breviter explicatur,

[urn:nbn:de:hbz:466:1-77185](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-77185)

cati, secundum quod opponitur bono proprio cuiusque virtutis; quia ejusdem virtutis est immediate prosequi bonum, & odio habere malum sibi adversum; odium tamen peccati considerati, ut est offensio Dei, debilis per satisfactionem, sub qua ratione est à poenitentia, nec elicitivè, nec imperativè procedit ab aliis virtutibus, sed oritur solum à poenitentia; quia sub hac ratione non cadit sub objecto aliarum virtutum, sed solum spectat ad objectum poenitentiae.

§. III.

Alia difficultas resolvitur, & quodnam sit objectum materiale & formale virtutis poenitentiae, breviter explicatur.

33 Dico tertio, objectum materiale virtutis poenitentiae esse peccatum, quatenus est offensio Dei expiabilis per satisfactionem.

Patet hæc conclusio, virtus enim poenitentiae versatur circa peccata, non sub particulari aliqua ratione, quandoquidem versatur circa omnia; nec prout opponuntur bono divino, sic enim respiciuntur à charitate, ut dicemus articulo sequenti: Ergo solum ut sunt offensio & injuria Dei, expiabilis per satisfactionem; proprium enim ejus motivum est dolere de peccato ex intentione destruendi & removendi illud, ut est injuria Dei, quod fit per satisfactionem. Ex quo

34 Inferes primo, peccatum duntaxat præteritum, esse objectum ut sic dicam primum virtutis poenitentiae: quia offensio ut expiabilis, consideratur ut præterita: neque enim est expiabilis, nisi postquam commissa est: secundario tamen & minus principaliter poenitentia fertur circa peccata futura, quia proponit nulla in posterum committere.

Inferes secundo, peccata aliena non pertinere ad objectum materiale poenitentiae, quia poenitentia non respicit peccatum nisi ut expiabile, seu quodidem prorsus est, ut per satisfactionem compensandum: Sed purus homo non potest satisfacere pro culpa aliena, esto possit satisfacere pro poena temporali: cuius differentia ratio est, quia satisfactio pro poena temporali, fit veluti per externam quandam solutionem debiti, quam potest unus prestare pro alio: at verò satisfactio pro culpa fit per internam offendenti erga offensum subjectionem, quam non potest unus pro alio facere: Ergo &c.

Inferes tertio, quod licet culpa mortalis, cum habeat propriè rationem offensæ, sit veluti principale objectum poenitentiae, tamen peccatum veniale, cum participet imperfectè rationem culpæ & offensæ, erit etiam objectum saltem secundarium & minus principale illius. Idem cum proportionem dicendum est de peccato exteriori, quod non addit malitiam supra interioris. Peccatum verò originale, nullo modo pertinet ad objectum poenitentiae, quia tale peccatum est malum naturæ, & non personæ: unde non potest privati alicujus hominis satisfactione expiari.

37 Inferes quarto, non solum malum culpæ, sed etiam malum poenæ, pertinere ad objectum materiale poenitentiae: quia per poenam voluntariè assumptam peccator satisfacit Deo, & compensat quantum est de se jus divinum læsum.

38 Dico quarto, objectum formale poenitentiae esse jus divinum læsum per offensam, ut reparabile per satisfactionem & compensationem quandam.

A Patet etiam hæc conclusio, tum quia per illud objectum distinguitur poenitentia ab aliis virtutibus, tum etiam quia attingere peccatum solum habens difficultatem: Ergo debet pertinere ad aliquam virtutem: Sed non potest pertinere ad aliam, quam ad poenitentiam, ut consideratur in articulo sequenti: Ergo objectum formale poenitentiae est jus divinum læsum per peccatum, ut reparabile per satisfactionem.

ARTICULUS III.

B *An poenitentia sit virtus à cateris virtutibus distincta, vel ad aliquam ex illis reducatur?*

Licet Theologi communiter doceant, poenitentiam esse virtutem aliquam specialem, qui tamen non distinguunt illam à reliquis virtutibus, sed reducunt ad aliquam ex his quæ erga Deum versantur, vel ex illis quæ ad iustitiam pertinent. Unde cum dicunt poenitentiam esse virtutem specialem, non sumunt illam specialem, prout distinguitur contra omnem aliam virtutem particularem, sed prout distinguitur contra aggregationem multarum virtutum. Aliqui ergo quos videmus in 4. p. quæst. 54. membro 1. arti. existimant poenitentiam reduci ad charitatem, quatenus amore Dei detestatur peccatum; ejusdemque virtutis est diligere objectum, & detestari oppositum. Alij cum Cajetano asserunt eam pertinere ad virtutem religionis, quatenus honorem Dei debent, per peccatum sublatum, restituere. Alij cum Cajetano asserunt eam pertinere ad virtutem religionis, quatenus honorem Dei debent, per peccatum sublatum, restituere. Alij revocant quod poenitentia est eadem virtus ac poenitentia vel commutativa, ut Durandus & Marilius: vel vindicativa, ut Scotus: vel distributiva, ut Gabriel.

§. I.

Revertitur prima sententia.

Dico primo, poenitentiam esse virtutem distinctam à charitate.

Probatur ratione fundamentali: Virtutes quæ habent distincta objecta formalia, distinguuntur inter se: Sed charitas & poenitentia recipiunt distincta objecta formalia: Ergo inter se distinguuntur. Minor probatur: Objectum formale poenitentiae est jus divinum læsum, ut reparabile per satisfactionem, ut articulo præcedenti ostensum est: objectum verò formale charitatis est bonum divinum, seu Deus ipse ut in se est, unde charitas est virtus Theologica, non verò poenitentia: Ergo habent diversa objecta formalia.

E Confirmatur: Respicere jus divinum corripit solum virtuti iustitiæ, cum jus sit proprium illius objectum: Sed charitas est virtus distincta à iustitiâ: Ergo jus divinum non respicit.

Probatur secundo conclusio, destruendo præcipuum fundamentum adversæ sententiæ. Licet charitas opponatur peccato, illudque destruere conetur respiciunt, & in ejus destructionem tendunt: Ergo inter se distinguuntur. Consequentia patet, Antecedens probatur, advertendo peccatum dupliciter posse considerari, nimirum prout est malum oppositum bono hominis, quem potest reparare rectitudine rationis, gratiæ, charitatis, & aliarum virtutibus ac donis supernaturalibus, ipsaque

Dei fruitione; & prout est malum quodammodo A
 oppositum Deo, idque dupliciter. Primò, ut con-
 trarium bono divino, quia per peccatum mortale,
 de quo præcipue loquimur, homo constituitur su-
 um ultimum finem in creatura, ut in Tractatu de
 peccatis ostendimus, sit inde, ut quodlibet pecca-
 tum mortale quodammodo sit contra bonum di-
 vinum, quod solus est verus ultimus finis, & vera
 beatitudo hominis, quâ ratione omne peccatum
 contrariatur charitati, cuius proprium munus est
 inclinare voluntatem in Deum, tanquam in sum-
 mum bonum & ultimum finem. Secundò potest
 considerari peccatum, ut opponitur divino juri &
 dominio proprietatis quod habet Deus in homi-
 nes, eorumque actiones; & sub hac ratione est
 offensa & injuria, & respicitur à virtute poeniten-
 tiæ, quæ per satisfactionem, talem injuriam repa-
 rare conatur. Licet ergo charitas & poenitentia
 adveniantur peccato, illudque destruere inten-
 dant, diversimodè tamen; nam Charitas illud res-
 picit, ut contrarium bono divino; poenitentia
 verò, ut juri divino oppositum.

Objicies: Virtus poenitentiae non distinguitur
 à charitate, si actus proprius poenitentiae, qui est
 contritio elicitur à charitate: Atqui contritio à
 charitate elicitur: Ergo virtus poenitentiae non di-
 stinguitur à charitate. Major patet, Minor proba-
 tur primò. Dolor de peccatis propter Deum sum-
 mè dilectum, est actus contritionis: Sed talis dolor
 elicitur à charitate cum ejusdem virtutis sit gau-
 dere de bonis amici, & de malis ejus dolere & tri-
 stari: Ergo contritio à charitate elicitur. Secun-
 dò probatur eadem Minor. Actus contritionis
 dicitur ille per quem deletur peccatum: Sed posito
 quod quis diligit Deum super omnia, impossi-
 bile est quod remaneat peccatum: Ergo &c.

Respondeo, concessa Majori, negando Minore-
 rem, & ad primam illius probationem dico quod
 quamvis dolere de peccato per simplicem displicentiam
 peccati, pertineat ad charitatem, dolere
 tamen de illo cum intentione illud destruendi, &
 satisfaciendi Deo offenso, non pertinet ad chari-
 tatem, sed ad aliam virtutem. Solutio est D. Tho-
 mae hic art. 2. ad 1. ubi sic ait: Si in actu poenitentiae
 consideretur sola displicentia peccati praeiudicis, hoc im-
 mediata ad charitatem pertinet, sicut & gaudere de
 bonis praeiudicis: sed intentio operandi ad deletionem
 peccati praeiudicis, requirit specialem virtutem sub Cha-
 ritate.

Instabis: Habitus qui intendit aliquid bonum,
 consequenter etiam operatur ad destructionem
 mali oppositi: Sed charitas intendit Deum ut sum-
 mum bonum, cui peccatum opponitur: Ergo do-
 lere de peccato, etiam cum intentione illud des-
 truendi, pertinet ad charitatem.

Respondeo distinguendo Majorem: Operatur
 ad destructionem mali oppositi, sub illa ratione
 sub qua opponitur à tali habitu intento, concedo.
 Sub alia, nego. Unde fatemur charitatem dolere
 de peccato cum intentione illud destruendi sub
 ea ratione, sub qua opponitur bono divino, quod
 respicitur à charitate: dolere autem de peccato
 cum intentione illud destruendi, sub ratione of-
 fensae, & quatenus opponitur juri divino, non est
 charitatis, sed poenitentiae, ut in secunda proba-
 tione conclusionis declaravimus.

Ad secundam verò probationem Minoris prin-
 cipalis dico, quod licet prorumpens in actum di-
 lectionis Dei, o ipso non habeat amplius pecca-
 tum, ideo tamen res ita se habet, aut quia simul

elicitur mediante habitu poenitentiae actum contri-
 tionis distinctum ab actu charitatis, si tunc instet
 obligatio ad eum, & peccatum memoriae occur-
 rat: aut quia licet nullus alius actus præter dile-
 ctionem habeatur, eo quod nimirum vel nullius
 peccati recorderetur; vel si recorderetur, tempus ta-
 men adimplendi præceptum de contritione for-
 mali adhuc non urgeat; nihilominus dilectio per-
 fecta quæ tunc habetur, includit saltem implicite
 votum eliciendi actum contritionis formalis,
 quando postea recordabitur alicujus peccati, &
 tempus de eo dolendi instabit.

§. II.

Sententia Cajetani resellitur.

Dico secundò, poenitentiam esse virtutem di-
 stinctam à religione.

Probatur primò ex D. Thoma in 4. dist. 14. quæ-
 stiunc. 1. art. 1. quæstiunc. 5. ubi sic ait: Aliquis efficitur
 Deo debitor, per hoc quod ab eo aliquid recipit; & hac
 ratione Deo reddere debet honorem la-
 triæ sive religio. Alio modo ex hoc quod contra Deum
 peccavit; & sic reddit Deo debitum poenitentiae.
 Quibus verbis manifestè distinguit religionem &
 ejus debitum, à poenitentia & illius debito. Et dist.
 15. quæst. 4. art. 7. quæstiunc. 1. ad 2. dicit non esse
 inconveniens actum unius virtutis imperari ab alia,
 sicut actus latræ seu religionis imperatur à poenitentia.

Probatur secundò ratione: Virtus cuius actus
 supponit necessariò offensam, distinguitur ab ea
 cuius actus non supponit, necessariò saltem, of-
 fensam: Atqui poenitentia est virtus cuius actus
 necessariò supponit offensam, ut constat, non ve-
 rò religio; potest enim & debet ejus actus exerce-
 ri etiam ab innocente: Ergo poenitentia à reli-
 gione distinguitur.

Probatur tertio: Tunc una virtus realiter di-
 stinguitur ab alia, quando in actu illius est major
 difficultas, quàm in actu alterius: Sed in actu
 poenitentiae major est difficultas, quàm in actu
 religionis: Ergo poenitentia à religione distin-
 guitur. Major patet, virtus enim requiritur ad vin-
 cendam difficultatem quæ in actu ejus reperitur,
 Minor verò sic ostenditur. Proprius actus reli-
 gionis est exhibere debitum cultum Deo, proprius
 autem actus poenitentiae est operari ad destru-
 ctionem offensae contra Deum commissæ: punien-
 do illam in seipso: Sed major est difficultas in hoc
 secundo actu, quàm in primo, quia cum homo
 maxime diligat propriam excellentiam, cum ma-
 gna difficultate considerat suos defectus, ad illos
 puniendos per satisfactionem; cum tamen valde
 suave sit exhibere Deo reverentiam, ad ejus ex-
 cellentiam significandam: Ergo major reperitur
 difficultas in actu poenitentiae, quàm in actu reli-
 gionis.

Demum suaderi potest conclusio ratione fun-
 damentali. Illæ virtutes distinguuntur realiter, quæ
 respiciunt diversa objecta formalia: Sed poeni-
 tentia & religio diversa objecta formalia respi-
 ciunt: Ergo distinguuntur realiter. Major patet,
 Minor probatur. Objectum formale religionis
 est specialis illa honestas quæ reperitur in eo
 quod supremæ Dei excellentiæ reddatur honor
 & cultus illi conveniens, ut in Tractatu de qua-
 tuor virtutibus Cardinalibus declaravimus: ob-
 jectum verò formale poenitentiae est jus divinum

Dist. 3.
art. 1.

lulum per offensam & reparabile per satisfactionem, ut constat ex dictis articulo præcedenti: Sed hæc realiter inter se differunt: Ergo poenitentia & religio diversa objecta formalia respiciunt.

49. Dices cum Cajetano, objectum formale poenitentiae non esse jus divinum lulum per offensam, sed jus divinum in tota sua latitudine, quod etiam respicitur à religione, ad quam subinde pertinet reparare jus divinum lulum, & satisfacere pro peccato per contritionem.

Sed contra: Objectum formale alicujus virtutis, nequit latius patere quam objectum materiale, alias reperiretur objectum formale sine materiali, quod implicat: At si jus divinum in tota sua latitudine esset objectum formale poenitentiae, latius pateret quam objectum ejus materiale. Ergo &c. Major constat, Minor probatur. Objectum materiale poenitentiae (ut articulo præcedenti ostendimus) sunt peccata, ut offensæ DEI, reparabiles per satisfactionem: Sed jus divinum in tota sua latitudine latius patet quam peccata &c. nam etiam reperitur in cultu debito Deo tanquam supremo domino & benefactori nostro: Ergo si jus divinum in tota sua latitudine esset objectum formale poenitentiae, latius pateret quam objectum materiale illius.

§. III.

Solvuntur objectiones.

50. **O**bjicies primò: In humanis eadem virtus justitiæ commutativæ quæ respicit jus proximi in voluntariis commutationibus, puta emptione & venditione, respicit etiam jus lulum per offensam, satisfaciendo injuriæ alteri illata. Itেম eadem virtus pietatis nedum satisfacit Patri pro beneficiis acceptis, sed etiam pro injuriis in ipsum commissis: Ergo similiter eadem virtus religionis poterit pro beneficiis acceptis, Deo cultum debitum exhibere, & pro injuriis illatis ei satisfacere.

51. Respondeo dato Antecedente, quod negant Soto & Valentia existimant enim etiam inter homines requiri specialem virtutem ad satisfaciendum pro injuriis illatis, diversam ab ea quæ in voluntariis commutationibus satisfaciunt pro rebus acceptis, vel quæ restituunt ablata, & debita reddunt negando consequentiam & paritatem. Ratio vero disparitatis, quantum ad primum est, quia hominis ad hominem potest esse perfecta æqualitas, sub qua tanquam sub eadem ratione formali indivisibili, potest eadem virtus respicere & rem debitam: ut restituendam, & injuriam illatam ut compensandam. At verò Deo nequit homo reddere æquale, sive pro beneficiis acceptis, sive pro injuriis illatis, atque adeò non potest unica virtus respicere sub ratione perfectæ æqualitatis; nec etiam sub ratione inæqualitatis, quia inæqualitas, cum multis modis contingat, per excessum scilicet & per defectum, non est una ratio omnino indivisibilis, quæ possit unam specificare virtutem; unde aliunde petenda est ejus specificatio, ita ut diversæ inæqualitates, juxta diversas earum causas, distinguantur. Unde inæqualitas proveniens ex beneficiis acceptis, specificabit unam virtutem, & inæqualitas ex injuriis illatis aliam.

52. Quantum verò ad secundum duplex assignari

A potest ratio discriminis. Prima est, quia unus reddens cultum patri, & compensans injuriam ipsi illatam, respicit semper idem jus & debum, scilicet jus paternum, in quo diversæ merita adunata, possunt unam specificare virtutem. Virtus autem reddens cultum debitum Deo pro beneficiis, & virtus satisfaciens pro injuriis, respiciunt diversum debitum; nam prior respicit jus domini, posterior verò jus proprium; eo enim quod Deus est primum omnium principium, habet jus domini in omnes creaturas & earum actiones: ex eo verò quod est ultimus finis creaturæ rationalis, habet jus in ipsum tanquam ultimum finem creaturæ: nec omnes suas actiones; quod jus appellatur proprietatis, ipsique opponitur peccatum in ratione offensæ.

B Secunda ratio discriminis est, quia offensæ filiorum in parentes, non est alia, quam impletis, ut ingratitude, quam proinde opposita virtus pietatis aut gratitudinis sufficienter potest reparare. At verò offensæ gravis in Deum, habet speciem rationis in justitiâ, distinctam ab ea quæ committitur in justitiâ, & ei superadditam prout deque reparandam virtute distincta à religione & à qualibet alia.

C Objicies secundò: Actus proprius virtutis poenitentiae, est etiam proprius virtutis religionis: Ergo poenitentia non distinguitur à religione. Consequentia patet, Antecedens probatur primò. Actus principalis poenitentiae est submissio hominis ad Deum: Sed per religionem homo subicitur Deo: Ergo actus proprius virtutis poenitentiae, est etiam proprius virtutis religionis. Secundo, Satisfacere Deo pro injuria, quæ est actus proprius virtutis poenitentiae, est exhibere cultum & reverentiam Deo, cum talis satisfactio nemine cedat in ejus honorem, eoque peractum restituat honorem per peccatum ablatum: Ad exhibere cultum & reverentiam Deo, ad religionem spectat, & est proprius actus illius: Ergo actus proprius virtutis poenitentiae, est etiam proprius virtutis religionis. Tertiò, Actus proprius poenitentiae est ille per quem expiatur peccatum: Sed per actum religionis expiatur peccatum; quandoquidem in lege veteri peccata expiabantur sacrificiis, & modo in lege nova expiantur sacramentis: sacramenta autem & sacrificia sunt actus religionis, imò Pál. 50. actus contritionis appellatur sacrificium, dicitur enim: *Sacrificium Deo spiritus contribulatum.* Denotum, sicut pro beneficiis acceptis debetur Deo gratiarum actio, ita & pro offensis recompenso: Sed gratiarum actio pro beneficiis à Deo acceptis, est actus religionis: Ergo & recompenso pro offensis, quæ est actus proprius poenitentiae.

E Respondeo negando Antecedens, & ad primum illius probationem, distinguo Majorem. Actus principalis poenitentiae est submissio hominis ad Deum, ut offensum, & ex motivo compensandi injuriam ei illatam, concedo Majorem. Ad Deum, ut supremum rerum omnium dominum, & ex motivo reverendi & profitendi supremam ejus excellentiam, nego. Similiter distinguo Minorem. Per religionem homo subicitur Deo, ut reus omnium domino, & ob supernam ejus excellentiam & majestatem, concedo Minorem. Ut obsequio, & ex motivo compensandi injuriam ei illatam, nego Minorem, & Consequentiam. Diver-

enim virtutes possunt tendere in idem obiectum diversimodè consideratum, seu ex diverso motivo & ratione sub quo. Sicut diversa scientia per diversa media eandem attingunt conclusionem: Eandem enim conclusionem demonstrat Astrologus & naturalis, puta quod terra est rotunda: Sed Astrologus per medium mathematicum, id est à materia abstractum; naturalis verò, per medium circa materiam consideratum: inquit s. Thomas 1. p. quæst. 1. art. 1.

Ad secundam, distingo Majorem: Satisfacere Deo pro injuria, illi est exhibere cultum aliquem generalem, qui includitur in quolibet actu virtutis, quatenus omnis actus virtutis cedit in honorem Dei, concedo. Est exhibere specialem illum cultum à quo specificatur religio, nego; quia talis cultus consistit in professione quadam dominii quod Deus habet ut primum rerum omnium principium: Satisfacere autem pro peccato, non est talis professio, ut patet ex dictis; & quamvis possit quis hanc satisfactionem peccati ordinare in cultum divinum propriè dictum, si nimirum fiat ex intentione significandi supremum Dei dominium; hoc tamen solum arguit quod actus ille poenitentiae possit imperari à religione, non verò quod eliciatur ab illa; ad hoc enim necessarium esset ut talis actus per se & ex propria ratione, significaret excellentiam & dominium quod Deus habet supra omne creatum, ut patet in omnibus actibus religionis, v. g. in sacrificio: immutatio enim rei oblata, quæ est essentialis sacrificio, significat per se, & ex propria ratione, Deum esse supremum vitæ & necis dominum.

Ad tertiam respondeo, expiationem à peccatis quæ fit mediante sacramento, pertinere ad duplicem virtutem, nimirum ad religionem, cujus est sacramentum ipsum, & ad poenitentiam, ad quam voluit Deus, instituendo sacramenta, quod actus & ceremonia religionis ordinarentur: ex eo autem quod una virtus cum subordinatione ad aliam, concurrat ad ejus effectum, non sequitur quod actus ejus, sit actus illius. Ad locum autem Psalmistæ dico, in eo quidem contritionem sive dolorem cordis de peccatis, appellari sacrificium, sed metaphorice tantum, non verò propriè; contritio enim sacrificium propriè dictum, esse actum eternum, non verò internum, qualis est dolor cordis.

Ad quartam, nego Consequentiam, licet enim recompensatio pro offensis, quæ fit propter recognitionem excellentiæ Dei, sive supremi ejus dominii, sit, quemadmodum gratiarum actio, actus religionis, non tamen recompensatio pro offensis, quæ fit immediate propter destructionem peccati sive offensæ secundum quam rationem duntaxat habet quod sit actus poenitentiae.

S. IV.

Tres alia sententiæ breviter confutantur.

Dico tertio, poenitentiam distinguere à justitia commutativa.

Probatur contra Durandum, primò quia hominis ad Deum non datur justitia commutativa, ut communiter docent nostri Thomistæ, & colligitur ex D. Thoma 1. 2. quæst. 114. art. 1. ubi sic ait: Manifestum est, non posse esse hominis ad Deum (non verò, à Deo, ut aliqui corrupti codices habent) justitiam secundum perfectam æqualitatem. Idem habent in 4. dist. 14. quæst. 1. art. 1. quæst. hunc. 6. Favet etiam Aristoteles in libris

Tom. V.

A Ethicorum, ubi docet inter patrem & filium, dominum & servum, non dari justitiam commutativam; quia justitia commutativa non est nisi inter æquales, nam sicut justitia legalis est partis ad totum, & distributiva, totius ad partes; ita commutativa est partis ad partem, id est æqualis ad æqualem. Ex quo

Probatur secundò conclusio ratione à priori. Virtutes quæ habent diversa objecta formalia sunt realiter inter se distinctæ: Sed poenitentia & justitia commutativa diversa objecta formalia respiciunt: Ergo distinguuntur realiter. Major patet, Minor probatur. Justitia commutativa respicit jus strictum ad æqualitatem, per proprium actum compensandum: Sed poenitentia non respicit tale jus: Ergo distinguitur à justitia commutativa. Major est certa, Minor probatur. Poenitentia respicit jus divinum læsum per offensam, ut reparandum per proprium actum: Sed non potest poenitentia reparare tale jus ad æqualitatem, quia offensa contra Deum commissæ, est malitia simpliciter infinita, ut in Tractatu de peccatis ostendimus; dignitas autem satisfactionis quam poenitentia exhibet, est finita simpliciter: Ergo poenitentia non respicit jus strictum, ut compensandum ad æqualitatem.

Respondet Durandus, in habitu poenitentiae duplicem actum esse distinguendum, unum primum, & alium secundarium. Primarius est ille quo homo servat jus divinum illæsum, observando mandata, seu vitando peccata: secundarius verò est ille quo ponit peccatum in seipso, & pro illo satisfacit. Quamvis ergo (inquit) poenitentia non possit hunc actum secundarium à quo sumit nomen poenitentiae, perficere ad æqualitatem, ut probat nostra ratio, bene tamen actum primum quo specificatur.

Sed contra. Constituire perfectam æqualitatem est actus primarius justitiæ, constitutam verò servare, est actus solum secundarius, ut colligitur ex D. Thoma 2. 2. quæst. 79. art. 1. ad 3. quia impossibile est conservare illam, nisi prius constituta sit; quod enim non est, conservari non potest: Ergo hæc solutio Durandi falsum supponit, nimirum quod servare jus divinum illæsum sit actus primarius poenitentiae, & illud per satisfactionem reparare, actus duntaxat secundarius.

Confirmatur: Actus secundarius non addit novam difficultatem supra primum: sed in hoc quod est reparare jus divinum læsum, specialis & major est difficultas, quam in hoc quod est vitare peccatum, & conservare jus divinum illæsum: Ergo reparare jus divinum læsum per peccatum, est actus primarius poenitentiae; servare autem illud illæsum, actus duntaxat secundarius. Major patet, Minor probatur, tum ad hominem contra Durandum, asserentem hominem posse ad æqualitatem servare jus divinum illæsum, non tamen reparare læsum. Tum etiam, quia major exigitur submissio & humiliatio in primo actu, quam in secundo, unde illo supposito, nulla est difficultas in eliciendo isto qui enim per veram contritionem de peccato dolens, facile proponit ab omni peccato cavere.

Dico quartò, virtutem poenitentiae distinguere à justitia vindicativa.

Probatur primò: Proprium est justitiæ vindicativæ pœnas & supplicia pro delictis taxare, servando proportionem & commensurationem inter pœnam & culpam: sed nulla potest esse proportio inter pœnam quam poenitentia exigit à peccato

Y y

toꝛe, pro delicto peccati mortalis, & tale deli-
ctum; est enim illa poena simpliciter finita, deli-
ctum vero ipsum, malitiæ simpliciter infinita; fi-
nitia autem ad infinitum nulla est proportio: Ergo
Pœnitentia non est iustitia vindicativa.

61. Secundò, Iustitiæ vindicativæ finis immediatus
non est emendatio delinquentis, aut ejus recon-
ciliatio cum parte læsa; sed solum illius puni-
tio: Sed pœnitentia habet pro fine immediato satisfa-
ctionis quam exigit à pœnitente, emendationem
peccantis, & ejus reconciliationem cum Deo: Er-
go non est iustitia vindicativa.

62. Tertiò, Vindicatio quam facit vel ipse iustitia
vindicativa, est involuntaria respectu patientis;
ea verò quam facit pœnitentia, est voluntarie
sumpta ab ipso suscipiente, utpote actus virtu-
tis in ejus voluntate existentis: Ergo idem quod
prius.

63. Demùm, Iustitia vindicativa non subiectatur
in patiente vindictam, neque in Iudice ordina-
te punitionem; ut enim rectè explicat D. Tho-
mas 2. 2. quæst. 108. & Cajetanus ibidem, vindic-
tatio, quæ est actus vindicativæ, est appetitus ra-
tionalis ulciscendi injurias, non intentione no-
cendi, sed intentione removendi nocumenta; un-
de hoc est speciale in hac virtute, quòd non po-
test consummare in proprio subiecto actum exter-
num, quia ad illum solum spectat intendere puni-
tionem, ad iustitiam verò commutativam ex im-
perio legalis residentis in iudice, pertinet consum-
mare actum vindicationis, seu punitionis: Atqui
actus punitionis qui reperitur in pœnitentia,
consummatur in ipso subiecto in quo est talis
virtus: Ergo pœnitentia non est iustitia vindica-
tiva.

Dico quintò, virtutem pœnitentiæ distingui à
iustitia distributiva.

64. Probatur primò: Iustitiæ distributivæ pro-
prium est, distribuere bona & poenas, cum pro-
portionem ad actus laudabiles, & culpas: Sed nulla,
ut supra dicebamus, est proportio inter culpam
peccati mortalis, & satisfactionem pro ea, per pœ-
nitentiam exhibitam: Ergo pœnitentia à iustitia
distributiva distinguitur.

65. Secundò, Iustitia distributiva est superioris ad
inferiores, siquidem pertinet ad superiorem di-
stribuere inferioribus de communibus bonis &
pœnis, unicuique proportionaliter ad suum me-
ritum vel demeritum: Pœnitentia autem est po-
tius, inferioris, scilicet creaturæ ad superiorem,
videlicet ad Deum: Ergo non est iustitia distribu-
tiva.

66. Tertiò, Iustitia distributiva non inducit in di-
stribuente debitum aliquod simpliciter, ortum
ex eo quòd aliquid acceperit vel abstulerit ab alio,
benè tamen pœnitentia in pœnitente; inducit e-
nim in eo debitum ex eo quòd peccando graviter
rationem ultimi finis Deo abstulerit, si non de
facto, saltem quoad affectum: Ergo pœnitentia
à iustitia distributiva differt.

67. Denique, Iustitia distributiva poenas vel bona
taxat uni, per respectum ad alium què etiam puni-
tur vel præmiatur, puta miligi per respectum ad
ducentem; pœnitentia verò non punit unum pœni-
tentem, per respectum ad alium, sed per respec-
tum ad culpam in Deum ab eo commissam: Er-
go idem quòd prius.

§. V.

Solvantur objectiones.

Objicies primò contra tertiam conclu-
sionem: Ad iustitiam commutativam duo ad-
quiruntur, & sufficiunt, scilicet stricta obligatio
ad solvendum, & perfecta æqualitas in compen-
satione illius: Sed pœnitentia utrumque habet.
Ergo est iustitia commutativa. Major conclusio
Minor probatur. Et in primis, quòd pœnitentia
habeat strictum debitum ad satisfaciendum Deo
pro injuria ipsi per peccatum irrogata, mani-
festum est, cum in Deo sit strictum justitiam
satisfactionem exigendi à peccatore. Quòd verò
peccatò satisfaciatur Deo ad æqualitatem, sic
dicitur. Actus contritionis, qui est pœnitentia,
reddat Deo æquale pro injuria illata: Ergo pœni-
tentia satisfacit Deo ad æqualitatem. Con-
sequencia patet, Antecedens probatur. Contri-
tione reddat æquale, quæ personæ læsæ exhibetur
aliquid, tantum ei placens, quantum displicet
injuria: Sed per actum contritionis exhibetur
Deo aliquid tantum ei placens, quantum ei dis-
plicet peccatum: Ergo actus contritionis reddit
Deo æquale pro injuria illata. Major conclusio
Minor probatur. Tanta est bonitas actus contri-
tionis, quanta est malitia peccati: Ergo per actum
contritionis exhibetur Deo aliquid tantum ei
placens, quantum ipsi displicet peccatum. Con-
sequencia manifesta est, Antecedens verò etiam
probatur, quòd sicut peccatum avertit Deum in
ultimo fine, ita & contritio convertit hominem
ad Deum tanquam ultimum finem, ipseque pro-
inde restituit totum quòd abstulerat per pec-
tum, quantum ad affectum, scilicet rationem ul-
timi finis.

Respondeo concessà Majori, negandò Minore,
quoad secundam partem, & ad illam proba-
tionem, nego Antecedens, ad cuius probatio-
nem, distinguo Minorem: Actus contritionis
si consideretur in ratione bonitatis moralis præ-
cisè, tantum Deo placet, quantum ei displicet
peccatum, concedo. Consideratus in ratione satis-
factionis, seu quantum ad valorem quem habet
ille actus ad satisfaciendum, ergo. Ratio ultio-
nis est, quia bonitas moralis actus petit ex ip-
somet entitate actus, & habitudine ad proprium ob-
jectum; valor autem satisfactorius sumitur ex di-
gnitate personæ satisfaciendæ, non autem ab ob-
jecto circa quòd talis actus versatur, cum ratio
malitiæ peccati in ratione offensæ, per se debet et
dignitate personæ læsæ, & ideo licet per actum
contritionis restituatur Deo tantum bonum, in
ratione boni moralis, quantum fuerat per pec-
tum ablatum, non tamen in ratione satisfactionis,
quia peccatum in ratione offensæ est infinitum
simpliciter, ex eo quòd persona offensæ est infinita;
actus verò contritionis non est infinitus in ra-
tione satisfactionis, quia persona satisfaciendæ non
est infinita. De quo plura diximus in Tractatu de
Incarnatione.

Objicies secundò: Ab eadem virtute proce-
dere debet satisfactio Christi & nostra. Sed satisfactio
Christi à iustitia commutativa processit in
Tractatu de Incarnatione ostensum est: Ergo à
nostra à iustitia commutativa oriri debet, cum
cum procedat à pœnitentia, virtus pœnitentiæ
non distinguetur à iustitia commutativa.

Respondeo negandò Majorem, ideo enim
Christus satisfecit Deo per iustitiam commu-
tativam.

tivam, quia potuit reddere illi aequale pro peccato, nos autem id præstare non possumus, unde poenitentia per quam Deo satisfactionem pro culpis exhibemus, deficit à stricta ratione iustitiæ, non defectu strictissimi debiti & obligationis, sed propter impotentiam offerendi Deo satisfactionem condignam & æqualem pro peccatis.

72. Dices, hæc impotentia non tollit quin verè ex iustitia commutativa Deo satisfaciamus: Ergo propter illam poenitentia non deficit à stricta ratione iustitiæ. Consequentia patet, Antecedens probatur, quia primarius actus virtutis consistit in electione quâ quis eligit ejus honestatem; per accidens verò est quod actum externum nequeat elicere. Unde sicut licet pauper, actus exteriores liberalitatis & magnificentiæ exercere nequeat, habitus tamen illarum virtutum habere potest quia potest eligere honestatem illarum, & elicere actum conditionatum illas exercendi, si haberet facultatem. Ita puto homini iustitia commutativa in ordine ad Deum competere potest, quia similiter potest velle satisfacere Deo ad æqualitatem, si posset.

73. Respondeo, impotentiam esse duplicem, alia est quæ se habet per accidens, & se tenet præcisè ex parte subjecti, & hæc impotentia ut plurimum non impedit actum virtutis, nec ejus habitum; alia est per se, & se tenet ex parte objecti, & ista impedit habitum & actum virtutis: talis autem impotentia reperitur in homine puro, ad exhibendum Deo æqualem satisfactionem pro peccato; nam æqualitas cum jure divino læsæ, impossibilis est puræ creaturæ ex objecto & per se, ita ut implicet contradictionem; impotentia verò quæ reperitur in paupere ad actum exteriorum liberalitatis & magnificentiæ exercendum, primi generis est, quia non repugnat ut fiat dives, & habet multas pecunias quas alii distribuat.

74. Obijciens tertio: Ad eandem virtutem pertinet, servare jus illæsum, & læsum reparare, ut patet in iustitia humana. Atqui servare jus divinum illæsum, non potest pertinere ad poenitentiam; Ergo & reparare jus læsum non erit actus poenitentia, sed iustitiæ commutativæ, vel distributivæ, aut vindicativæ. Major certa videtur, Minor probatur. Si servare jus divinum illæsum ad poenitentiam pertineret, & esset actus illius, poenitentia posset esse in Christo & in Angelis; possent enim actum illum elicere, scilicet jus divinum illæsum servare: Sed hoc dici nequit, ut infra patebit: Ergo nec illud.

75. Respondeo data Majori, negando Minorem, & ad illius probationem, distinguo Majorem. Si servare jus divinum illæsum ad poenitentiam pertineret, & esset actus illius primarius, poenitentia posset esse in Christo & in Angelis, concedo Majorem. Si esset actus illius tantum secundarius, nego Majorem: Habitus enim virtutum non ponuntur in potentis propter actus tantum secundarios, sed solum propter actus primarios, à quibus specificantur: unde cum servare jus divinum illæsum, sit actus tantum secundarius poenitentia, licet reperitur in Christo & in Angelis, in illis tamen habitus virtutis poenitentia esse nequit.

76. Dices, Actus secundarius alicujus virtutis, non potest elici, nisi ab illa virtute: Ergo si servare jus divinum illæsum sit actus secundarius poenitentia, & illi in Christo & in Angelis reperitur, in illis etiam erit habitus virtutis poenitentia, à quo eliciatur talis actus.

Tom. V.

Respondeo negando Antecedens, nam ex ætatione gloria corporis, quæ in nobis est actus secundarius spei, eliciebatur per virtutem charitatis à Christo, & modo etiam per eandem virtutem elicitur à beatis, in quibus non est spes, defectu actus primarii quem non possunt elicere. Similiter etiam dicendum est, quod propositum vitandi peccata, ut sunt offensæ contra Deum, & servandi jus divinum illæsum, in subjectis incapacibus poenitentia, procedit ab alia virtute, puta à iustitia commutativa in Christo, & à iustitia legali in Angelis, cum quo stat, absolute illum actum dicendum esse actum secundarium poenitentia, quia in subjectis capacibus poenitentia procedit secundario ab illa.

Urgebis, Actus secundarius alicujus virtutis debet attingi sub eadem ratione formali, sub qua attingitur primarius: Sed actus de quo est sermo non attingitur actus primarius poenitentia: Ergo non debet dici actus ejus secundarius. Major est certa, Minor probatur. Poenitentia non potest elicere actum primarium & æqualitatem, & tamen istum actum, nempe servare jus divinum illæsum, ad æqualitatem elicit: Ergo sub eadem ratione formali non attingit utrumque. Consequentia patet, Antecedens etiam, quoad primam partem, est manifestum; probatur verò quoad secundam. Ad servandum jus divinum illæsum ad æqualitatem, sufficit quod Deus nihil jure possit expostulare tanquam pars læsa: Sed hoc ita erit, si evitetur omnis injuria contra Deum: Ergo &c.

Respondeo, concessa Majori, negando Minorem, & ad ejus probationem, nego poenitentiam posse illum actum, nempe servare jus divinum illæsum, exercere ad æqualitatem; quia servare jus ad æqualitatem, supponit prius factam esse perfectam æqualitatem; quod enim non est, conservari non potest; neque ille dicitur jus alienum ad æqualitatem conservare, qui cum sit debitor, curat solum ne nova debita contrahat. Unde ad probationem in contrarium, nego Majorem, quia potest Deus tale propositum acceptare pro aliis titulis, puta titulo gratitudinis, & ideo nullum actum possumus respectu Dei ad æqualitatem exercere.

§. IV.

Corollaria notata digna.

EX dictis inferes primò, poenitentiam non esse virtutem Theologicam, sed moralem: virtus enim Theologica habet pro objecto formali Deum: Poenitentia verò non respicit immediate Deum, sed compensationem juris divini læsi, quam ingreditur Deus in obliquo, ut finis cui, non in recto, ut finis qui: sicut cum quis ex affectu iustitiæ compensat injuriam Regi factam, Rex non ingreditur compensationem ut finis qui, sed ut finis cui; finis verò qui est compensatio, ut ad æquativam juris læsi. Unde D. Thomas in 4. dist. 14. quæst. 1. art. 1. quæstione 4. ad 2. observat virtutes esse in triplici differentia: alia habent pro objecto & fine proximo Deum, ut Theologica. Alia nec pro objecto nec pro fine proximo Deum habent, ut temperantia, & fortitudo. quæ pro materia habent passionem appetitus sensitivi, pro fine proximo animi quietem, pro fine ultimo & remoto Deum. Alia verò sunt quæ licet non habeant Deum pro objecto, habent

Y y ij

tamen ipsum pro fine cui, seu pro fine proximo ad quem omnes earum actus diriguntur: tales sunt religio & poenitentia, quarum actus proxime ordinantur ad Deum; quæ propterea propinquissimæ sunt Theologicis, à quibus imperantur.

81. Inferes secundò, virtutem poenitentia ad iustitiam reductivè pertinere, partemque potentialem ipsius rectè appellari; quia licet deficiat à vera iustitia, in quantum scilicet non potest reddere DEO æquale, tamen imitatur & æmulatur quodammodo rationem iustitiæ, sicut religio, pietas, & observantia, quæ idcirco etiam patet potentialem iustitiæ solent appellari. Quia verò non versatur in distributione bonorum communium, sed in compensatione offensæ Deo per peccatum illatæ, & insuper vindictio quam facit, voluntariè assumitur ab ipso poenitente, & in ejus emendationem ordinatur, iustitia ad quam reducitur, non est distributiva, neque vindictiva, sed commutativa, ut docet S. Thomas hic artic. 3. ad 3. his verbis: *Sicut est commutatio quadam in beneficiis (cum scilicet aliquis pro beneficio accepto gratiam rependit) ita etiam est commutatio in offensis, cum aliquis pro offensâ alterum commisit, vel iniurius puniunt, quod pertinet ad vindictivam iustitiæ, vel voluntariè re-compensat emendam, quod pertinet ad poenitentiam, quæ respicit personam peccatoris, sicut iustitia vindictiva personam iudicis.*

82. Inferes tertio, habitum poenitentia residere in voluntate, non verò in appetitu sensitivo; quia poenitentia, ut iam ostendimus, est pars potentialem iustitiæ: omnis verò iustitia est in voluntate. Tum quia ex Ulpiano lege iustitia ff. de iustitia & jure; *iustitia est perpetua & consensus voluntas, ius suum unicuique tribuens.* Tum etiam quia omnis virtus respiciens bonum alterius, est in voluntate, non verò in appetitu, utpote determinato ad bonum proprium: Sed omnis iustitia respicit bonum alterius, scilicet debitum, ut alteri compensandum: Ergo omnis iustitia residet in voluntate, non verò in appetitu sensitivo.

83. Quæres, utrum sicut in quibusdam virtutibus dantur aliqui habitus in appetitu sensitivo, ultra eum qui est in voluntate, qui habitus existens in appetitu, perficit & consummat rationem virtutis: ita etiam duplex sit admittenda virtus poenitentia, una in appetitu sensitivo, & alia in rationali? Ratio dubitandi est, quia ad efficiendum actum poenitentia est difficultas non solum in voluntate, sed etiam in parte sensitiva: Sed poenitentia existens in voluntate, non potest tollere difficultatem quæ est in appetitu sensitivo: Ergo præter virtutem poenitentia in voluntate residentem, datur alia in appetitu sensitivo, quæ huiusmodi difficultatem vincat.

84. Confirmatur: Quamvis liberalitas sit pars potentialem iustitiæ, nihilominus Theologi communiter ponunt duplicem liberalitatem, unam in voluntate & aliam in appetitu sensitivo; quia ad efficiendum actum liberalitatis duplex difficultas superanda est; oportet enim primò moderari amorem divitarum in appetitu sensitivo, & deinde inclinare voluntatem ad largiendas alteri divitias: Ergo similiter, licet poenitentia sit pars potentialem iustitiæ, duplex debet admitti poenitentia, quarum una in voluntate, altera in appetitu sensitivo residet.

85. Confirmatur ampliùs: Dolor de peccato qui subiectatur in appetitu sensitivo, est bonus & laudabilis, sæpè enim in Scriptura laudantur lacrymæ pro peccatis effusæ: Ergo debet esse ab aliqua vir-

tute: Sed non potest esse à virtute poenitentia existente in voluntate, cum non possit habere existens in una potentia, producere actum virtutis existente in appetitu, subindeque, poenitentiam debet admitti in appetitu sensitivo.

Dicendum tamen est, quod licet poenitentia ut passio, sit in appetitu sensitivo, sumpta tamen pro virtute non existit, etiam complete, nisi in la voluntate. Primò, quia in ea solum potentia subiectari debet immediatè, cuius actus potest immediatè attingere ejus objectum: tales autem non sunt actus appetitus sensitivi, utpote cuncti corporei, objectum autem poenitentia sit quod spirituale, scilicet ius divinum & æquale, & requiritur per satisfactionem. Secundo, quia dolor existens in appetitu sensitivo, licet regulatur, quando sequatur ad actum poenitentia, imò, pius tantò major sit, quanto major est poenitentia cordis; tamen neque est essentialis poenitentia, neque simpliciter ei necessarius. Tertio, quia difficultas, quæ est in appetitu sensitivo ad efficiendum actum poenitentia, sufficiens tollitur per virtutem temperantia, cuius proprium est omnes delectationes & tristitias moderari: Ergo vincendam illam difficultatem, non requiritur virtus poenitentia in appetitu sensitivo; quamvis in eo poni debeat virtus liberalitatis, quæ amorem inordinatum pecuniarum moderetur, qui in eo nulla præsupponitur virtus, quæ talem affectum cohibeat. Ex quo patet responso ad rationem obbitandi, & ad primam confirmationem illius.

Ad secundam verò, nego Minorem, & ad probationem illius dico, in dolore illo sensibili laudabili, qui subiectatur in appetitu, duo esse distinguenda, scilicet substantiam actus, & rationem formalem virtutis: quamvis autem non possit poenitentia existens in voluntate producere actum alterius potentia, quantum ad substantiam, bene tamen quoad modum virtutis; cum enim ille dolor non sit actus virtutis secundum suam substantiam, sed solum quatenus ordinatur ad satisfaciendum pro culpa, & hanc ordinem non possit habere ab aliqua virtute existente in appetitu sensitivo, quia nulla talis potest attingere Deum, aut aliud objectum spirituale, sit inde quod ipsa poenitentia existens in voluntate eliciat hunc actum, quatenus habet rationem virtutis. Huius rei habemus exemplum in Oratione, quæ secundum suam substantiam est actus intellectus, in illo existens, & tamen ut habet rationem virtutis, est elicitive à religione in voluntate existente; quia nimirum Orationis non habet rationem virtutis, nisi quatenus ordinatur ad cultum divinum: hanc autem ordinem non habet, nisi à religione, cuius proprium objectum est cultus divinus. Licet ergo una potentia non possit producere actus alterius, ut intellectus volitionem, aut voluntas intellectum; bene tamen habitus existens in una potentia, actum alterius habitus in alia potentia existens; quia nimirum in eo differt habitus à potentia, quod potentia est principium actus quoad substantiam, unde si intellectus produceret actum voluntatis, unus & idem actus simul esset intellectus & volitio: habitus verò virtutis aut viti, non est principium actus in esse nature, sed tantum in esse moris, id est secundum rationem boni & mali: non in-

pliat autem quod habitus existens in una potentia, bonitatem aut malitiam moralem producat in actu alterius habitus existentis in alia potentia, ei nimirum communicando ordinationem in proprium finem quem respicit.

88. Inferes quartò; quod licet in Christo potuerit esse actus ille conditionatus, *Si ego per impossibile peccarem, Deo pro peccato meo satisfacerem*, nullatenus tamen in eo fuit virtus poenitentiae, quidquid dicat Suarez. Deficiente enim possibilitate objecti primarii alicujus virtutis, atque adeò actus absoluti circa illud, impossibile est talem virtutem existere propter solos actus conditionatos circa illud objectum simpliciter impossibile: cum enim virtus sit essentialiter dispositio perfecti ad optimum actum, non potest dari propter solos actus imperfectos, quales sunt conditionati de objecto simpliciter impossibili: primum autem objectum virtutis poenitentiae, nempe peccatum commissum ab eo qui eam habet, erat omnino Christo impossibile, cum esset ab intrinseco impeccabilis ratione unionis hypostaticae, ut in Tractatu de Incarnatione visum est.

89. Dices, Licet Christus non potuerit habere nisi actum conditionatum satisfaciendi pro peccato suo, cum ab intrinseco esset impeccabilis, potuit tamen elicere & de facto elicit actum absolutum satisfaciendi pro peccatis hominum: Sed talis actus à nullo alio habitu, quam à poenitentia potuit elici; quia attingere peccatum sub ratione offensae, ut compensabile per satisfactionem, est proprium habitus poenitentiae: Ergo talis habitus fuit in Christo.

90. Respondeo concessà Majori, negando Minorem; cum enim Christus potuerit pro peccatis hominum satisfacere Deo ad aequalitatem, & de facto ei satisfecerit, voluit absolute quam habuit satisfaciendi pro peccatis nostris, non potuit elici à virtute poenitentiae, quae est pars potentialis iustitiae, sed à iustitia commutativa, quae est vera & stricta iustitia, compensans debitum ad aequalitatem, & satisfaciens de toto rigore iustitiae. Unde ad probationem in contrarium, in qua dicitur quod attingere peccatum sub ratione offensae, ut compensabile per satisfactionem, est proprium poenitentiae: dicendum est, hoc esse verum, cum peccatum attingitur ut compensabile per satisfactionem inaequalem; falsum verò, cum respicitur ut compensabile per satisfactionem condignam & aequalem; nam sub hac ratione non potest attingi à poenitentia, sed solum à iustitia commutativa, quae proinde non potest esse in homine putato in ordine ad Deum, cum purus homo non possit pro peccato satisfacere ad aequalitatem, sed solum in Christo, qui per actiones theandricas, & valoris simpliciter infiniti, condignam & rigorosam satisfactionem pro peccatis hominum Deo exhibuit, ut in Tractatu de Incarnatione fuisse ostendimus.

91. Inferes quintò, habitum poenitentiae repugnare Angelis: cum enim immobiliter adhæreant objecto semel electo, non possunt retractare actum elicitum, nec per consequens de illo poenitere. Unde Fulgentius de fide ad Petrum cap. 3. ait quod omnes illi pravariatores Angeli, nec mala possunt unquam voluntate carere, nec poenā. Et Gregorius 3. Moral. cap. 6. Cor antiqui hostis (inquit) ut lapis indurabitur, quia nulla unquam conversionis poenitentia mollietur. Et rursum cap. 14. Appetitum celsitudinis veritatis in rigorem mentis, ut damnatus jam per duritiam se male egisse non sentiat.

Tom. V.

Inferes sextò, habitum poenitentiae remanere in beatis, tum quia cum hanc virtutem habuerint in via, non est cur eam amittant in patria magis quam alias virtutes, quae versantur circa passiones, & à suis actibus in patria omnino cessant. Tum etiam, quia stante absolutà possibilitate objecti primarii, & actus circa illud, meritò ponitur habitus virtutis in subiecto, propter alios actus secundarios quos in illo potest exercere: cum autem beati non sint impeccabiles absolute, siue ex natura, sed tantum ex gratia, objectum primum poenitentiae & ejus actus absolute, possibilia sunt, respectu eorum: possunt insuper exercere & de facto exercent actus secundarios talis virtutis, primum gratias agendo Deo offenso pro misericordia quae relaxavit eorum peccata; neque enim iste actus pertinet ad virtutem gratitudinis, ut docuit Vazquez, cum gratitudo Deum ut benefactorem, non verò ut offensum respiciat: secundò gaudendo de actibus ejusdem virtutis habitus in via; ejusdem enim virtutis est (ut docet D. Thomas 1. 2. quæst. 59 art. 4.) gaudere de propriis actibus, cujus est operari illos. Ex quibus etiam sequitur à fortiori Adamum etiam in statu innocentiae, habuisse talem virtutem, utpote cum status iustitiae originalis relinqueret eum liberum ad peccandum, & esset sic dispositus, ut poeniteret, si peccaret. Imò licet Beata Virgo, ex privilegio speciali, fuerit præservata à peccatis, etiam venialibus; tamen quia ex conditione sui status, præscindendo à tali privilegio, poterat peccare, aliunde verò habuerit gratiam justificantem, ad quam suapte natura omnes virtutes morales infusa cum poenitentia consequuntur, non est (quidquid dicat Nugno) cur in ea, gratiam à virtute poenitentiae sejungamus. Denique loquendo de parvulis, cum in ipsis maneat libera facultas peccandi, licet ob defectum usus rationis ab exercitio suo per accidens impedita; aliunde verò poenitentia cum ceteris virtutibus supernaturalibus, naturaliter sequatur ad gratiam, sicut sunt capaces gratiae, ita & poenitentiae. Unde Augustinus lib. 1. de peccat. meritis cap. 19. hanc quaestionem proposuit: *Quomodo & ipsi infantes vocantur in poenitentiam? Nunquid tantillus potest aliquid poenitere?* ita solvit: *Si propterea poenitentes dicendi non sunt, quia sensum poenitendi nondum habent, nec fideles dicendi sunt, quia sensum credendi nondum habent. Si autem propterea recte fideles vocantur, quoniam fidem per verba gestantium quodammodo profitentur: cur non prius etiam poenitentes habentur, cum per eorumdem verba gestantium, Diabolo & huic saeculo renuntiare monstrantur?*

94. Inferes septimò, præter habitum poenitentiae supernaturalis, dari habitum poenitentiae naturalis. Naturaliter enim cognoscitur peccatum esse contrarium rationi, subindeque primæ regulæ & legi æternæ, cujus ratio naturalis est participatio: Ergo potest voluntas viribus propriis illud detestari, ut rationi & legi æternæ contrarium, nec hoc excedit ipsius vires: igitur ex talibus actibus gigni potest habitus facilitans voluntatem ad conformes actus eliciendos. Hinc sequitur quod in statu naturæ puræ potuisset esse verus habitus poenitentiae naturalis, cum in eo statu potuisset homo dolere sepe de peccatis in Deum ut authorem naturæ commissis, cum spe veniæ; plures enim ex Gentilibus, lumine fidei destituti, solo rationis naturalis ductu, offerebant

Yy iij

olim Deo sacrificia ad placandum ipsum pro peccatis, ut scribit Plato lib. 10. de legibus. Unde Ovidius 1. de Ponto, de diis suis ait:

*Sapē levare pœnas, ereptaque lumina reddunt,
Dum bene peccatis pœnituisse vident.*

DISPUTATIO III.

De remissione peccatorum
mortalium.

Ad questionem 86. D. Thoma.

Explicata naturā pœnitentiæ, tam in ratione virtutis, quam in ratione sacramenti considerata, agit D. Thomas de præcipuis ejus affectibus: Primò quidem de remissione peccatorum mortalium quaest. 86. Deinde de venialium remissione quaest. 87. Postea horum effectuum irrevocabilitatem explicat, & peccata per pœnitentiam remissa non redire per subsequens peccatum ostendit. Demum quaest. 89. de alio differit pœnitentiæ effectu, nimirum de recuperatione virtutum, ac reviviscencia meritorum, per peccatum præcedens mortificationem. De his omnibus in hac & tribus sequentibus disputationibus nos etiam breviter differemus.

ARTICULUS I.

*An per pœnitentiam omnia peccata mortalia,
quantumcumque gravia, remitti
possint?*

Notandum primò quod hanc quaestionem non solum esse de sacramento pœnitentiæ, sed etiam de virtute pœnitentiæ, quæ per contritionem extra sacramentum vim habet justificandi, & remittendi peccata, ut infra dicemus.

Notandum secundo, dupliciter intelligi posse, quod aliqua peccata non possunt remitti per pœnitentiam, Primò quia non possunt subijci pœnitentiæ, defectu auxilii ad pœnitendum necessarii. Secundo, quia licet illi subijciantur, non est in illa virtute sufficiens ad delenda ejusmodi peccata. Et in hoc tantum sensu præsentem difficultatem movemus, quia in primo sensu eam in Tractatu de prædestinatione plenè resolvimus: ibi enim cum duobus Illustrissimis Cardinalibus, Cajetano scilicet, & Bellarmino, docuimus, Deum peccatoribus excæcatis ac induratis subtrahere interdum, in pœnam præcedentium peccatorum, omnia auxilia supernaturalia, & sui desertores ita deserere, ut omni tam sufficienti quàm efficaci gratiâ, sicut per aliquod tempus, priventur, juxta illud Isidorus lib. 2. de summo bono cap. 15. Nonnulli ita despicuntur a Deo, ut deplorare mala sua non possint, etiam si velint. Et istud Augustini de natura & gratia cap. 67. Illud est peccati pœna justissima, ut qui rectum facere cum posset noluit, amittat posse cum vellet. Hanc sententiam expressè docet Aravius hic art. 2. dubio 1. ubi licet admittat auxilia ad pœnitendum sufficientia omnibus offerri a Deo; negat tamen illa semper, & pro omni tempore, & in omnibus adultis, intrinsecè recipi, & citat pro

hac sententia Sorum, Bannem, & Noguè. Hi præmissis, pro resolutione difficultatis proferunt contra Novatianos, Montanistas, & alios, quos hæreticos, asserentes nullam pœnitentiam esse validam pro peccatis quæ committuntur post baptismum, & quædam esse peccata adeo gravia, ut nullâ valeant pœnitentiâ deleri.

Dico breviter, tam in virtute, quàm in sacramento pœnitentiæ, esse efficaciam sufficientem ad delenda quæcumque peccata, illius sufficiens ita ut nullum sit peccatum, quod remissionem possit, si vera de illo habeatur pœnitentia.

Conclusio est certa de fide, & probatur primò ex iis Scripturæ testimoniis, in quibus dicitur, B ulla limitatione aut restrictione promittitur contritis remissio omnium peccatorum. Genes. 18. Si impius egerit pœnitentiam ab omnibus peccatis suis, omnium iniquitatum ejus non recedat. Et statim subdit, Nunquid voluisti: mea est misericordia, dicit Dominus Deus, & non est contritio à viis suis, & vivat? Et cap. 33. Viro qui dicit, Non timeo mortem, id est nullum impium vero mortem, quæcumque impietate fuerit, item de sacramento pœnitentiæ Joan. 10. absolvebat sine ulla limitatione asseritur: Quorum remissionis peccata, remittuntur eis. Et Matth. 18. Quæcumque solveritis super terram, erunt soluta & in cælis. Et cap. 19. Christus ait Petro: Non dico tibi, sed septuagies septies, hoc est in quæcumque numero fuerint peccata, remittenda esse per potestatem traditam sacerdotibus in sacramento pœnitentiæ. Idemque significatur in Parabola illius prodigi, qui post multa crimina in leprosum veniam à patre conlequutus est. Unde Christus logus serm. 3. Delicta non videt vis amori, si non pater peccata filii credemini osculo, etiam si amplius ex Certe si abscissimus, si substantiam patris tuam herose differimus, si quid unquam commissum honoris ex delictis, si ad impietatem præsumptum, si tam venimus ad ruinam, surgamus disceptare ad patrem, tali invitati redimus exempli.

Probatum si cundò conclusio ex decretis Conciliorum, nam in Concilio Lateranensi sub Innocentio 111. cap. Firmius de summa Trinitatis sub finem, & in Trident. sess. 14. can. 1. in receptione asseritur, fideles, post Baptismum in peccatum prolapsos, per veram pœnitentiam posse semper reparari & hoc sacramentum institutum fuisse pro ipsis Deo reconciliandis, quoties in peccatum post Baptismum incidere. Item in decreto dist. 1. de pœnitentiâ cap. Nemo, desumpto ex Ambrosio lib. 1. de penit. cap. 1. sic dicitur: Deus autem nullum crimen excipit, peccata omnia donavit.

Tertiò probatur, quia opposita sententia derogat non solum divine fidelitati, ut ostensum est, sed etiam pugnare videtur cum summo illius amore, quo Sic Deus dilexit mundum, ut filium suum unigenitum daret, ut omnis qui credit in eum non pereat, Joan. 3. & quo propria filius non perierit, sed pro nobis omnibus traditus est, ad Roman. 8. Nam quo pacto pro nobis omnibus tradidisset illum, ut omnis qui in eam crediderit, non periret, si non omnia peccata possent perire, & conversionem in Christum delicti? Valde etiam derogat copiose redemptioni Christi, à qua nullus mortalis, quantumcumque peccator, excluditur, & ad quam pertinet etiam universalis redemptor omnium peccatorum, quia